



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 34. Apologia Eckii adversus Bucerum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

num Evangelii doctrinam extinguere molitur. Verum ea res non pertinet ad Pontifices; cum enim ipsorum munus sit peculiare Verbo Dei & precationibus oppugnare, minime decet, ut ea neglegat statione, machinis & armis rem gerant. Cæsaris propriæ officium est in Turcam belligerare, non quidem vindictæ, vel gloriæ, vel emolumenti caussa, verum ex officio, nimirum, ut ab injuria suos defendat subditos: Neque vero Cæsar his verbis ad bellum excitandus est, tanquam ipse esset Orbis Christiani Caput, Ecclesiæ protector, fideique defensor: nam ejusmodi tituli sunt falsi atque ventosi, & ad injuriam Christi pertinent, qui solus Ecclesiam suam defendit. Ceterum Christiani, qui vel jam sunt in Turcarum potestate, vel in servitatem ab illis olim rapientur, patienter ferant suam servitutem, atque a speciosa illa Turcarum atque fucata religione diligenter sibi caveant, nec ad ipsorum religionem deficiant. Tandem in fine hujus libelli precationis normam subjungit ad Deum contra furorem ac barbaram horum infidelium fævitiam.

### §. XXXIV.

#### *Apologia Eckii adversus Bucerum.*

Sub idem tempus Eckius quoque pro *Cochl. l. & Catholicis* apologiam edidit adversus Buceri calumnias; cum enim hic Protestantum Theologus de Ratisbonen-

Sæcul. XVI. nensium Comitiorum actis libellum con-  
A.C. 1542. scriberet, Eckius in suo libro præprimis  
ostendit, quod longe plures ac graviores  
articuli controversi non sint conciliati, quam  
sunt ii, quos Bucerus conciliatos affirmat.  
Postea per multas variasque annotationes  
ea omnia declarat, quæ in libro, qui Collo-  
cutoribus propositus fuit, & in quolibet libri  
capitulo reprehensione digna sunt, libros au-  
tem editos fuisse viginti tres affirmat. Ter-  
tio denique reprobat multos Lutheranorum  
errores, qui habentur in novem eorum scri-  
ptis, quæ ab eis subscripta fuere. Deni-  
que prolixius per viginti & unum puncta  
refellit cavillas & Buceri calumnias, quas  
edidit contra responsum Catholicorum Prin-  
cipum & Imperii Ordinum de libro collo-  
quii Carolo Cæsari datum. Insuper de-  
fendit Eckius Cardinalis Contarenii Legati  
Apostolici responsa & declarationes, quas  
Bucerus calumniose suggillavit. Postremo  
tandem responsum, quod a Protestantibus  
Cæsari de articulis conciliatis, & adhuc  
controversis datum fuit, examinat, illud-  
que prorsus infirmum, solique calum-  
nias spargendi libidini innixum osten-  
dit. Prodiit eodem etiam anno alia  
Alberti Pighii apologia contra Buce-  
rum scripta.

§. XXXV.